

98
indita. Nam alij Bacchum, à mulieribus quæ bacchantes illum sequebantur, A
dixere. Alij à torculari quo uinum exprimitur, Lenæum. Quidam Bromiū, à
tonitru qui in eius ortu contigit, Brontius insuper, ex eadem appellatur cau-
sa. Quinetiam triumphator dicitur, quòd primus omnium de Indis multis cum
spolijs in patriam reuersus triumpharit. Alijs quoq; cognominibus, quæ lon-
gum esset recensere, & alienum ab historia, uocatus est. Duplici esse uidetur
forma, quoniã duo Dionysij extiterunt. Primus barba promissa antiquo mo-
re barbam nutriētium fuit, Speciosior posterior, iuuenis, & (ut fertur) delicio-
sus. Quidam duplicem formam illi tributam uolunt, quoniam ebrieras & ira-
cundos efficiat, & hilares. Satyros etiam, quorū opera in saltatione ac tragœ-
dijs oblectabatur, secum tradunt duxisse. Et Musarum quidem optimis insti-
tutis, Satyrorum uerò risu ac ioco Dionysius uitam omnem felicem traduce-
bat. Scenicæ præterea artis ac theatrorum inuentorem, & musicæ certaminū
institutorem uolunt. Omnes etiam qui in exercitu musicis exercerentur, fecit
immunes: quod & posteri instar Dionysij seruarunt. Omnes enim musicæ
operam dantes, immunitate potiti sunt. Et de Dionysio, ne modum excedat
oratio, hæc uenit. Nunc quæ de Priapo traduntur (sunt enim Dionysij rebus
contigua) se infert scribēdi locus. Fabulantur antiqui, filium Dionysij ac Ve-
neris Priapum fuisse: ducti uero satis simili coniectura, quòd qui uino indul-
gent, sint natura ad Venerem prōptiores. Afferunt nōnulli, priæcos illos cum
uellent hominum pudenda occultius nominare, Priapum dixisse. Alij geni-
talia dicunt causam esse hominum generationis: proptereaq; semper exti-
tisse immortalis honore celebrata. Aegyptij de Priapo scribētes, olim Titanas
aiunt Osiride ab se dolis interfecto, corpus eius in æquas partes diuisisse: ijsq;
domo clam elatis, partem pudendam in flumen, cum singuli eam respuerent,
abiecisse. Isdem postmodum ultam uiri mortē Titanibus occisis, uiri corpus
inquisisse: partesq; repertas cum in formam hominis composuisset, sacerdoti-
bus tradidisse sepeliendas: utq; ueluti Deum Osiridem colerent, imperasse.
Sola pudenda non reperta, pro Deo coli, inq; templo suspendi iussit. Hæc de
Priapi genere, deq; eius honore ab antiquis Aegyptijs traduntur. Hunc deū
quidam Phallum, alij Typhonem nominant. Non solum autem in urbium
templis, sed in agrestibus quoq; locis tanquam uinearum atq; ortorum custos
colitur, fructuum fures castigans. Non solum autem in ceremonijs quæ Dio-
nyso impenduntur, sed & in reliquis fermè alijs huic Deo sacra cum risu &
ludo fiunt. Simili ortu fuisse quidam existimant Hermaphroditum: quem
ex Mercurio ac Venere genitū, utriusq; parentis nomen cepisse ferunt. Hunc
Deum esse opinantur promiscua uiri ac fœminæ natura: fuisse quoq; specie
mollitiq; corporis fœminæ similem, & opera exercuisse uiri. Quidam eius-
modi partus asserunt naturæ monstra, quòd rarò fiant, atq; aliquid tum bonū
tum malum portendant. Quoniam uerò Musarum in Dionysij gestis memi-
nimus, uidetur nunc de his diligentius scribēdi tempus. Plurimi, & ij præfer-
tim qui probantur scriptores, tradunt eas Iouis & Memoriae filias: pauci ex
poëtis, in quibus est Alcmeon, filias esse Coeli ac Terræ asūt. In numero quo-
que dissentiuunt, nam quidam tres, alij nouē asserunt extitisse. Verum nouem
numerus inualuit, ijs comprobantibus, qui habiti sunt (Homerum dico atq;
Hesiodum, cæterosq; eiusmodi) cæteris præstantiores. Homerus enim ait,
Musas nouem esse pulchritudine eximia. Hesiodus etiam recenset nomina,
Clío, Euterpe, Thalia, Melpomene, Terpsichore, Erato, Polymania, Urania,
Calliope, quæ omnibus est nobilior. Harum cuiuslibet sua officia tribuunt, eo-
rum quæ ad musicæ artem spectant, ueluti poëticam, melodiam, saltationem,
choreas, astrologiam, reliquasq; doctrinas. Plures asserunt eas fuisse uirgi-
nes, quoniam uirtutis disciplina incompta esse uideatur. Musas eo uolunt co-
gnominatas, quòd homines bona utiliaq; docent, & quæ ab indoctis ignoran-
tur.